

DISSERTATIO MEDICA
DE
SALIVATIONE
ARTIFICIALI

QVAM

AVSPICIIS ACADEMIAE
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS HAEREDITARII

AC DOMINI
DN. FRIDERICI

HASSIAE LANDGRAVII RELIQA.

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV

PRO LOCO

AD DIEM XXX. NOVEMBRIS

DEFENDET


D. PHILIPPVS IACOBVS BORELLVS

FACVLTATIS MEDICAE DECANVS

RESPONDENTE

HENRICO GVILIELMO SIBECKERO

WILDVNGA-WALDECCO.



MARBURGI

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI.

26 28
2

DISSERTATIO MEDICA

DE

SALLIVATIONE

PARTICULARI

IN

ARTICULO ACADEMICO

RECTORE MAGNifico

FRANCISCO HANSEN

MDCCCXXXI

DR. FRIDERICI

PHILIPPI

ALMA MATER MEDICINAE

COENOBII

PROF. O. O.

AD HONORANDUM

FRANCISCU

D. PHILIPPI JACOBI BORELLII

PHYSICIS

PROF. O. O.

HENRICO GUILIELMO SIECKERO

PHYSICIS

PHYSICIS

PHYSICIS



DISSERTATIO MEDICA
DE
SALIVATIONE ARTIFICIALI

§. I.



Esti morborum per argentum viuum sanatio non penitus praeterierit Veteres Graecos aequae ac Arabes, vti patet ex GVIDONIS DE CAULIACO *chirurgia magna* (a) tamen vel infrequens fuit, vel certe ea quae studio et arte inducta per salivationem curatio eos prorsus latuit, quae ad finem properante quinto et decimo seculo, et vna nascente in Europa siphylide, (b) imitando quidem, vt videtur, Arabum ac Graecorum Medi-

A 2

cos

(a) *Quae post venetam editionem prodit Lovanii 1585. curante LAUR. IOVBERTO.*

(b) SYDENHAM. *opusc.* p. 386.

eos, magis tamen coeco ausu et incerto euentu, quin tentando potius quam certa ratione adiuuenta demum fuit, parum certissime ante hanc aetatem exculsa.

§. II.

Quidam scilicet chirurgi, eosque inter IACOBVS praecipue BERENGARIVS *Carpensis*, qui teste FALLOPIO (c) sola hac curandi methodo ita diues fuit factus, vt quadraginta reliquerit aureorum scutatorum millia, sordida curaturi et aliam omnem medendi rationem respicientia vlcera vivum vnguentis mercurium, non quidem ad excitandam saliuam: sed quod veteres eo fuerant vsi in sanandis malignis atque deterrimis vlceribus aliisque lvi venereae quoad externa symtoma- ta similibus morbis, admiscuerunt, quo identidem inuncto, quum, praeter vlcerum quam respiciebant detersionem, prolixam insuper et in aliquot dies continuatam, penitus antea ignoratam saltem ex quacunque fuerit causa non obseruatam, salivae educationem, immo eius tand m ope plenariam ipsius venerei morbi curationem consequi sentirent, vltioribus experientiis hanc medicandi methodum confirmatam, variisque locupletatam accessionibus, posteris eandem tradiderunt.

§. III.

Empiricam hanc medendi rationem tanquam naturae aduersam, ideoque fallacem et nefandam, maxima tunc nominis celebritate et Artis Medicae gloria con-

(c) *Tract. de morbo gallico. cap. 76. Oper. tom. I. p. 727.*

conspicuos omni quidem impendio non dubitasse traducere ipsa eorum luculenter restantur enunciata: IOANNES scilicet FERNELIVS, (d) nil minus se credere asserit, quam confectum ex hydrargyro medicamentum sanare tollereue luem veneream, quippe quod symptomata saltem suo iudicio auferat, radice quidem neglecta, et IOANNES BAPTISTA MONTANVS (e) argentum viuum reprimere quidem putat per aliquot tempus morbum istum, sed malam qualitatem parti inunctae et membris principalioribus inducere minimeque remouere hunc morbum sed magis procedente tempore omnia fieri deteriora, imo ipsis aegrotis nunquam tollendae decolorationis faciei, epilepsiae et aliorum malorum pericula inducere.

§. IV.

At immerito, dicata enim salivae organa educendae praeter naturam constitutae et corpus grauantimateriae aequae ac reliqua corporis emissaria esse aptissima, mucosum praeterea humorem variasque sub eo delitescentes et firmiter impactas impuritates, quibus proferibendis aliae viae grauius patent, ab ipsa ptyalismum excitante natura per glandulas commode educi salivales, ipsa loquitur pathologia.

§. V.

Quam rem, praeter obscura ipsius medicinae

A 3

Pa-

(d) *de abditis morborum causis* l. 2.

(f) *consult. medic* p. 319 *seqq.*

Parentis (f) vestigia, perspicue faciunt testatam, cum confluentes variolae, earum quippe eruptionem excipiens illico, vel succedens paullo post perque totum morbi decursum continuans, moderatum salivae stillidium potissima, in aetate imprimis prouectioribus, salutis causa existit, contra vero ubi eadem ante vndecimum morbi diem supprimitur, variis grauibus atque suffocatoriis obruti pathematibus plerumque per eunt isto variolarum cruciatu decumbentes (g), tum contumacior quartana, quam sponte, cooriente salivae profluuiio, et iam dudum BALLONIVS (h) et hinc WILLISIVS (i) ablatam adnotarunt; quod ipsum aliorum quoque obseruationes confirmarunt.

§. VI.

Ipsius igitur naturae optimae morborum, medicatrici, aduersa non est saluatio, quae praeterea medicamentis adornatur mercurialibus, per repetitas duorum et quod excurrit seculorum experientias, adeo videtur adferta, ut FERNELII et MERCATI traductio nemini amplius formidinem incutiat.

§. VII.

(f) *praedict.* l. 1. §. 167. et *coac. praenot.* §. 204. edit. Foes.

(g) vid. SYDENHAMVS *opusc.* p. 112. FR. HOFFMANNVS *diss. trad. bistor. variol. epid.* p. 24. VAN SWIETEN *comment. in aphor. Boerbau.* Tom. II. p. 87. IVNCKERVS *diss. de variol. confluent. saliv. crit.* p. 20. et FABRICIVS *obs. circa constitut. epid. anni 1750.* p. 28.

(h) 2 *epid. et ephem.* p. 131. et 158.

(i) *Tract. de febr. cap. 6. quod de quartana agit* conf. SCHVLZE *de mercurii usu in quartana curanda* p. 16.

§. VII.

Vnde hodierni non in paulo confirmatoris tantum celticae luis statu ad salivationem statim tanquam ad sacram confugiunt anchoram, sed quamplurimos etiam satis rebelles chronicos morbos, aliorum successu medicamentorum frustrati, expugnare eadem solent, quorum catalogum BOHNIVS (k) et passim alii (l) recensent.

§. VIII.

Et profecto si rem aequa, ut decet, iudicii lance trutinemur, hoc minimum extra dubitationis positum aleam videtur, quod infaustae illa et lethalis a FERNELIO aliisque eius aevi Scriptoribus adducta salivationis exempla aequae ac frequentes, superatis ptyalismis taediis, morborum recidivae, de quibus adhucdum saepius conqueritur, partim violentis et perperam praeparatis, quibus tum pessime abutebantur medicastrum ac pseudo-chymistae, mercurialibus medicamentis (m), partim temerariae salivationis adplicationi incautae eiusdem administrationi, ut et quos non recte satis cavere plerumque sciunt nostrates intercurrentibus erroribus diaeteticis, tribuenda potius sint quam ipsi in unum et per se salivationi. (n).

§. IX.

(k) *de officio medici duplici* l. 1. cap. 15.

(l) GVRISCH *de saliva humana* c. III. p. 86. sqq.

(m) conf. IORDANVS *lib. de lue morauica*.

(n) vid. SENNERTVS *Med. pract. L. VI. p. 4. cap. 21. p. 194.*

§. IX.

Vt ergo paucis et libere quod res est profiteamur, sicuti ille iterato vsu satisque inde constanti obseruatione, sed particularium non nisi atque temere compilatorum, nondum corroboratus catalogus morborum nimium excreuisse, ita maxima vicissim recentiorum pars in altero et quidem opposito antiquorum formidini excessu peccare videtur, quod nimirum iis quoque in affectibus, vbi aut inconueniens prorsus aut ancipitis saltem euentus est saluatio, nimia eandem facilitate adhibeant.

§. X.

Etenim si vna cum agrypniis eneruantibusue insomniis, tenuique per integrum sputationis cursum victu, tum necessario tum ob faucium saepe intumescen-
tiam dentiumque vacillationem corpus adeo exhauriente, perpendamus exaestuationes et incitatos illos motus, quibus ad obtinendam illam debitam humorum colli-
quationem semper totum fere corpus prius concutitur, si porro mercurium naturali humorum miscelae ac tenerae imprimis neruorum fabricae contrariari tot omnis
aeui obseruatis fidem adhibentes statuamus; tunc certe prouidi magis erimus atque cautiore in administranda
mercuriali saluatione, facileque erit collectu, eam paucioribus vtique atque iis demum conuenire, qui non suffi-
cienti modo vitalium virium constantia talique viscerum
robore pollent, qualis ad sustinendos propellendosque
humores colliquatos concitate et violenter impulsos re-
quiri-

requiritur (o) ne eorum congestione et stagnatione obruantur, sed illis insuper hoc medicamentum conducit, qui etiam validum adeo nacti sunt encephalon omneque inde productum neruorum systema, vt stimulatae a medicaminis et humorum colluuii vehementia fibrae motrices ad excussoriam satis valeant reactionem, neque violentum et geminum veluti, funestam alias catastrophem indubie editurum, hostem admittant.

§. XI.

Ex dictis simul prudens adparet cautio eorum, qui, praeter alia generalia salivationem contraindicantia, quosunque frequentibus ante contaminationem capitis repletionibus et adgrauationibus, sensuum torporibus, vertigini, paralyfi a iisque atoniae vitiis obnoxios ab eadem penitus abstinere iubent, (p) nemo abhinc, neotericorum seductus catalogo, tenebricosa correptos vertigine, paralyticos ex arthritide aut contractos, nedum ipsos epilepticos, salivatione restituere audeat.

§. XII.

Enimuero sicuti in eiusmodi neruosi systematis infirmitatibus neutiquam adhibendus, ita saluis contra neruis caeterisque integritate gaudentibus vi-

B

sceri-

(o) conf. HOFFMANNVS *diff. de medic. infecuris* §. 23.
 (p) vid. WEDELIVS *de saporum theoria* S. II. p. 110. et
 WILLISIVS *de anima brutorum* cap. 9. *de paralyfi*.

sceribus, hepate praesertim et pulmonibus, reformidandus aequè non venit ptyalismus, sed securum factis, omniumque quae innotuerunt hactenus praestantissimum ac efficacissimum, salutatur remedium eorum rebellium chronicorum morborum, qui viscosum, seri potissimum lymphaeque, lentorem atque inhaerentia eius inuolucro varii generis inquinamenta pro causa agnoscunt, vnde mucosae dein in glandulosis quibuscunque partibus collectiones et coagulationes, in scirrhosam primum duritiem post sordidas malique moris exulcerationes abeuntes, propululant. (q) Imò omnia propemodum ex ultimo veluti contagii venerei gradu nascentia ossium mala, tophi, gummata atque exostoses, cunctis aliis non sananda auxiliis, saluatione penitus extirpari quam plurimis constat exemplorum monumentis. (r)

§. XIII.

Saliuam mercurii ope eliciendi modus duplex est, dum aut vivus exus corpori inungitur aut dulcificatus repetitis dosibus intus adsumitur. (s) Ille, qui primum innotuit a multis hodie retinetur immò huic praefertur, in illinendo corporis artubus vnguento, iudicatur expeditissimus.

§. XIV.

(q) F. HOFFMANNVS *diff. de remed. euacuant. operandi ratione. p. 20.*

(r) GVIL. FABRICIVS *oper. pag. 493. seqq.*

(s) FRID. HOFFMANNVS *diff. de mercurio et medic. merc. p. 13.*

§. XIV.

Circa cuius administrationem bina haec postulantur requisita, 1) vt diuisus in minimas suas particulas mercurius, non decenti solum proportione, plus enim iusto periculose (t) minus autem absque effectu esset, sed aequabiliter quoque unguento sit remixtus, 2) compositionem ne ingrediantur liberam ipsius per cutis poros penetrationem impediencia resinosa nimis tenacia et inuiscantia quaecunque alia, hac tamen obseruata cautela, vt ad praecauendum, in mobilioris constitutionis laxiorue cutis textura praeditis, ex nimis subitaneo mercurii ingressu magnae corporis perturbationis metum, moderari quidem eum sed talibus conueniat, quae vt fere omnia ad hunc scopum addi solita poros neutiquam obstruant.

§. XV.

Optime nimirum depuratus, (u) colliquatae in subcalido mortario terebinthinae pauxillo exceptus, talique modo in minimas suas moleculas diuisus, mercurius cum porci axungiae rosaceiue vnguenti, ad subitum nimis eius ingressum praeuertendum, quantitate sufficiente ac sic quidem subigatur, vt nec eius corrumpetur substantia nec cutis oppilentur pori. Omnia vero, siue suaueolentia, vt destillata in exigua plerumque quantitate addi sueta olea quae caput petendo mole-

B 2

stiam

(t) IDEM *diff. de imprudenti medicat. causa morbor.* p. 24.

(u) C. A. a BERGEN *diff. de medic. bonae notae regni miner.* p. 20. VALENTIN. *polychr. exot.* p. 100.

fiam creant, siue graueolentia, quae a chirurgorum vulgo pro scopo neruino hic sane frustra adiiciuntur, exulent.

§. XVI.

Sufficiens saluationi mouendae mercurii quantitas diuerse a diuersis determinatur; plerique olim infra modum substiterunt, at non tam bene et liquide profluens sic concitatur saliuā, quam molestissimae potius maloque funditus extirpando impares prorsus sequuntur expuitiones, modernorum contra alii modum temere transcendunt. Sed fida constat experientia, vnam mercurii vnciam pro completa cienda saluatione vt plurimum sufficere, nec opus neque consultum esse vltra sescunciam pergere. Sequens hinc vt simplicissimum ita optimum videtur esse compositum, dum nempe vna purissimi, cumque terebinthinae drachma probe subacti, mercurii vncia duabus axungiae porcinae recentis atque aliquot olei de cedro ita-lici, quod minime omnium caput grauat, guttis impraegnatae unciis excipiatur artisque lege in unguenti formam redigatur. (x)

§. XVII.

Non vna itidem illinendi ratione Scriptoribus stat sententia, nam formidulosi nimium, vel qui aliis videri cupiunt cautiore, singulis inunctionis vicibus
non

(x) vid. FRID. HOFFMANNVS *Med. rat. system.* T. IV. pars 5. p. 126.

non nisi vnicam mercurii drachmam impendunt atque articulos tantum inungunt, quod equidem in tenerioribus sufficere potest, non aequè vero in paulo robustioribus. Ab his diuersi admodum sunt alii, qui in prima vltra tres, in altera vero et forte sequenti sex statim mercurii drachmas consumunt.

§. XVIII.

Media hic quasi via incedens SYDENHAMVS (y) confecto ex una mercurii et duabus pinguedinis porcinae vncis linimento, tertiam modo eius partem singulae adhibendo inunctioni, aegrotum non articulos tantum sed etiam reliquas extremitatum partes propriis perungere manibus iubet, sollicitè cauendo, ne medicaminis quicquam axillas ferat vel inguina, quod, vt et aliis vsitata spinae dorsi frictio, periculo haud caret, et quidem ter, non vt nonnullis vsuuenit, matutinis horis neque cum regimine coacte calido sudationibusque profusis, sed per tres continuas noctes, ea tamen lege, vt aeger lectum statim petendo sub consuetis saltem stragulis somnum capiat, quia laxato per somnum corporis habitu hiantes mercurius poros expeditius et placidius intrat quam sub profusis illis sudoribus humore scatentes, quibus quippe aliud pene nihil efficitur, quam vt, serum exhauriendo, temere concutiantur vires atque instans saliuatio tanto difficilius reddatur.

B 3

§. XIX.

(y) l. c. p. 398.

§. XIX.

Trinam hanc inunctionem largus satis ptyalismus plerumque sequitur, qui tantum successiue incrementum insequentibus diebus nanciscitur, vt intra quatuor et viginti horas quatuor fere salivae librae completae, veluti salivationis quantitas, stillent, atque tunc, ne moleste aut ultra terminum protrahatur salivae profluuium, venenatusue nondum penitus extinctus fomes novos postea tumultus excitare valeat, inquinata lecti strata aequae ac vestimenta sunt permutanda. (z)

§. XX.

Quod si vero non promte satis, tertia peracta inunctione, salivua fluere incipiat, ab ulteriore quidem inunctione laudatus desistit autor, sed octo mineralis turpethi grana exhibet, quo facto efficaciter, commota prius aluo, salivatio promouetur (aa) in quo quidem perpauca iure habet imitatores, sequente forte speciali ob urgentem necessitatem excepto casu. Accidit nimirum nonnunquam, vt sub salivationis exortum, mira suffocationem minians, aegrotum comprehendat praecordiorum angustia atque anxietas, quae prius non cedit, quam efficacia ope illico propinati vomitorii, magna viscosi admodum valdeque corrupti liquaminis vis educatur, quo peracto tranquille demum

(z) FRID. HOFFMANNVS l. c. p. 167. SYDENHAM l. c. p. 399.

(aa) idem l. c.

demum salivatio procedit. Praestat tamen tunc dulcis mercurii scrupulum completae tartari emetici dosi remixtum adhibere et minori sic vehementia eundem obtinere effectum. Extra illum vero casum semel vel bis eadem dosi datus dulcis mercurius ita tertiae velificatur inunctioni, ut abunde certe, nostris saltem in regionibus, satisfaciat. (bb)

§. XXI.

Alia porro et crebrior, salivationem retardans aut admodum minimum turbans, nonnunquam observatur difficultas, diarrhoea scilicet post unam statim aut alteram inunctionem oboriens, et saepissime quidem torminosa, magnam tamen mucii copiam abducens, quae ideo non statim venit supprimenda, quia perinde est, per quasnam natura vias praeparatam et motam morbi causam demum proscribat, uniuersa praeterea glandularum intestinalium cohors aequae conueniens hic constituit organon secretorium ac salivales ductus, prouti ex physiologia patet.

§. XXII.

Adfecta igitur spasmodice intestina hordei potius aut auenae cremore et aliis mucilaginosi mulcenda et contra infensam corruptae materiae acrimoniam munienda sunt remediis, quae non victus tantum loco, sed in clysmate etiam adiecto saccharo et ubi tormina urgent dia-

(bb) E. N. C. Dec. 2. ann. 9. p. 313. et SYDENHAM
l. c.

diascordii electuario, omissis tamen pinguedinosis; optime adhibentur. Desistendum interim ab ulterio-
ri, usque dum alui cessauerit profluuium, inunctio-
ne et illius loco eadem vespera sufficiens diascordii
aut liquidi laudani dosis intus propinanda, quo fa-
cto ptyalismus rite procedet et placide abhinc ad sta-
tum usque perget. (cc)

§. XXIII.

Aluus ita ut plurimum, dum haec fiunt con-
stipata ut ne semel quidem per plures insequentes
dies suo fungatur officio, ne enematibus quidem,
multo minus catharticis, temere est interpellanda,
ideo quoniam nullum aegrotis adfert incommodum,
sed strenue potius rerum suarum satagentis naturae
praebet prudenti eius ministro indicium.

§. XXIV.

Circumspectum autem medentem praecipue de-
cet statum illum saluationis eiusque cursum ita diri-
gere, ut non morbi modo magnitudini sed decum-
bentis quoque viribus et quantitate ex aequo par sit
et continuatione sufficiens. In quo ut in utramque
facile partem delinquitur, ita totius fere medelae car-
do in eodem versatur.

§. XXV.

(cc) SYDENHAM l. c. p. 400.

§. XXV.

Peccant excessu et soli fere minus periti tonsores, defectu saepius, quibus cautae loco prudentiae formido inest, medici, et duplici quidem ratione, dum vel praemature et ante justum terminum sisti, vel sub curationis demum finem auerti, salivationem docent, eo specioso quidem at vano praetextu, ut et morbi et remedii reliquiae per iteratas siue alui siue cutis excretiones exterminentur.

§. XXVI.

Quum tamen utrumque fallax profecto salivationis tuto sistendae esse indicium quotidiana edoceat observatio, etenim procedente rite salivatione morbi quidem symptomata brevi post maximam quiescunt partem, si vero fluor salivae, commisso vel leuissimo regiminis errore, retardetur, nedum penitus cohibeatur, illico recrudescent.

§. XXVII.

Et quamuis sub ptyalismis exordium per dies aliquot viscidus aequae ac olidus excernatur salivialis latex, accidit tamen quoque interdum, ut finita vix prima hebdomade limpidus emanare incipiat, atque, plenarie nondum ob oris exulcerationem cessans, foetor multo tum mitior reddatur; sed nemo exinde sibi persuaderi patietur, omnem morbi ipsius materiam, omne luis miasma, protinus cum crasso-
C rum

rum illa humorum sentina esse exturbatam, modo attente perpendat, subtile admodum esse cum variarum morbosarum impuritatum seminium tum gallici imprimis morbi virus imo promte valde et intime suam diffundere labem per quoscunque corporis succos. Tantum igitur abest, ut cum illis crassamentis totum statim exterminetur virus, ut intima potius et vniuersali facta humorum resolutione tandem secedat.

§. XXVIII.

Repetitis vero sudationibus ad cutim, vel catharticis ad aluum, in suo saluationem decursu diuertere aequae euidentem atque damnosam sapit hallucinationem; (dd) etenim ab expedita, tantaque medicationis difficultate trita facta, via abductae miasmatis morboosi reliquiae minus longe patentibus secretioni et excretioni meatibus nobilioribus nempe internis partibus, friuole ac violenter refunduntur, unde, relicto vel minimo contagii fomite, decollati ipse conualescentiae adparentis miseri in pristinum recidunt statum, eoque ipso plectuntur grauius, quo magis praegressi morbi atque ipsius curationis violentia vires sunt exhaustae.

§. XXIX.

Impendendum ptyalismo tempus, quum pro morbi magnitudine, temperamenti item et climatis diver-

(dd) SYDENHAM l. c. p. 401.

diuersitate, variet, generali cuidam termino includere vix licet; omnis interim contumacioris paulo siphylidis malitia apud nostrates intra tres raro proscibitur hebdomadas, sed integrum semper fere mensem, praesertim si dolosae maculam medelae effugere velimus, postulat.

§. XXX.

Vt igitur debitum attingamus terminum, consultum utique est, si a memorato illo statu subito nimis defleat et imminuatur saluatio, eandem mercurio dulci, ad quindecim et ultra grana, altero vel pro rei exigentia tertio saltem quouis die exhibito, promouere, imo prudens SYDENHAMI obseruans monitum semel adhuc in hebdomade per quatuor vel sex vices, eandem aegro dosin exhibebit, utcunque bene se habeat et etiamsi iam domo egrediatur: (ee) sic enim blando, neque exhausti haecenus corporis refectionem impediante, pyalissimo peruii adhuc ductus saliuales quicquid reformidandum esset reliquiarum miasmatis omne penitus dimittent, atque ita demum conualescentes a recidiua omnino immunes redduntur.

§. XXXI.

Quaecunque ad rite instruendum ante inuentionem corpus sollicitè praemittere iubent Scri-
C 2 pto.

(ee) l. c. p. 400.

ptores, ea neque ut inania aut periculosa plane sunt reiicienda, neque vel admittenda vel continuanda promiscue. Nam digestiuis, aluum purgantibus, sanguinis missione, decoctis, balneis et quae sunt reliqua, circulatim adhibitis, corpus per plures praeparare hebdomadas nec morbi nec medicationis conditio exigit. (ff)

§. XXXII.

Morbum quod spectat, tenendum est, quod ea solum causae morbificae pertinacia et a naturali statu alienatio, quae aliis quibuscunque auxiliis cedere recusat, saluationem indicet. (gg) Quia igitur ipsam morbi materiam haec non adgreditur praeparatio, eandem aut ad morbi adiuncta aut producta, et quidem si pro speciali id singulorum peragatur indicatione adposite factis, adhibendam esse adparet, consequenter eundem hunc disponendi circulum omnibus sine discrimine praescribere ineptum merito censetur.

§. XXXIII.

Sectionem venae sola sane sanguinis postulat
abun-

(ff) F. HOFFMANNVS. *de mercurio et med. mercur.* p. 16. conf. STENTZELIVS *diff. sistens casus aliquot hominum a lue vener. per saliu. curat.* p. 8.
(gg) SYDENHAMVS l. c. p. 398.

dantia, at confirmata ac habituali lue vel alio eiusmodi morbo chronico laborantes raro deprehenduntur plethorici, vel si sunt vnica venae apertione leuantur. Cathartica adhibentur vel ad eliminandas primarum viarum sordes, ne inter salivationis primordia commotae debitum ptyalismus successum turbans alui excitent profluuium: vel ad proscribendum exundans in sanguinis massa serum, ne commotum et ad fauces ruens celerrime periculum inferat suffocationis, atque vnum tunc alterumue ex dulci mercurio et ialappae resina concinnatum omnem implet paginam, serosa vero colluies in exhaustis morbi diuturnitate accidentiumque vehementia adeo vix deprehenditur, vt necessarium hoc salivationis vehiculum, serum nempe, in plerisque potius deficiat. Balneum impuris praescribens corporibus piaculum committit, exulcerationes minimum atque nodi mirum exinde exacerbantur. Decocta tandem modo blandiora sint gustuique accepta, non ante tantum salivationem, sed per totum etiam ipsius decursum, insigni cum emolumento adhibentur.

§. XXXIV.

Medicationis intuitu praeparatorium dictum circulum exulare posse is facili perspicit negotio, qui considerat, excitatam olim violentis et corrosiujs

mercurialis profapiae praecipitatis salivationem, cauti-
 oribus elapsi aevi medentibus suspectam merito,
 dulcificati abhinc mercurii op̄e hodie adornandam,
 mitem omnino atque securam, efficacem tamen infi-
 mul, adeo esse, vt inueterato vtcunque morbo siue
 gallicus sit siue alius, persanando sufficiat, neque vl-
 lo alio, nisi renitentius sit malum, additamento indigea-
 mus, imo inunctiōi peritiores hodie medici inter-
 num mercurii vsum praefendum ideo putant, quia
 maiori cum certitudine sic regi et ad iustum vsque
 gradum successiue excitari potest saluatio, vt nec ner-
 uorum laesiones nec oriunda ex nimis subito ad
 fauces adfluxu symptomata aequae veniant metuenda,
 inunctio autem si non anceps molestior certe semper,
 non nisi propter immediatum magis contactum, ad
 gummata tophos exostosesque rebelles, quibus ta-
 men percurandis inducta quoque solo dulci mercurio
 saluatio pari passim adhibetur cum successu, (hh) in
 vsum trahatur.;

§. XXXV.

Sicuti vero in omnibus omnino casibus rite
 adhibitus diuque satis continuatus mercurii dulcis
 vsum

(hh) ALBERTI *de singulari merc. dulcis vsum in desperatis
 quibusdam morbis* p. 31.

vsus spem rarissime fallit, ita dantur nonnulli, in quibus indispensabilis propemodum adparet inunctionis necessitas, vbi videlicet, siue propter nimiam humorum in ventriculo et intestinis abundantiam morbosamque turgescerentiam, siue propter delicatorem eorundem sensum, mercurius, legitime quamuis dulcificatus, eo vsque tamen continuare nequit, donec ex voto procedat saluatio: quia molestissimis statim, minoribus etiam iisque vel ter repetitis praebitis exhibitis, adficiuntur delinquentes vomendi conatibus, quas crebrum, nullis cedens stomachicis sedatiuisue et non nisi plenaria propinandi vltimus mercurii abstinentia compescendum, excipit alui profluuium.

§. XXXVI.

Reliqui inunctionum modi, vt friuoli ac fontici, prorsus hodie damnantur, et quidem merito: etenim vt inanem illam confectarum ex mercurii cum saturno amalgamate solearum taceamus speculationem, inducenda abdomini cingula vel magnam vel partiam in sinu recondunt mercurii quantitatem, in priori igitur casu aequae ac eiusdem inunctio periculose, in posteriori autem incassum, adplicantur. Praesentanea contra intusque penetrans suffitus lethales

thales in teneram neruorum fabricam minas jactitat. Instructa tandem ex sublimati solutione balnea corporis ocyus habitum exedunt quam vt saliuam moueant. (ii)

§. XXXVII.

Internum saliuam excitandi modum alii quindecim illico grana aut integrum quoque scrupulum propinando e ndemque singulo octiduo dosin repetendo, aliter alii administrant, tutissimam STAHLIO praeunte (kk) calcando semitam, expurgantis prius primarum viarum sordibus aliisue pro re nata praemittendis praemissis, lente et mitissime, per dies tamen octo continuos pergentes, auspiciantur, singulo nimirum vespero sub lecti introitum et insequenti mane dant quinque, imo delicatioribus paulo quatuor aut tria tantum grana dulcis mercurii rite parati, (ll) vel per se vel aequali millepedum portioni, ad vitandam faucium intumescenciam, erosionem, imo quaecunquae alia incommoda (mm) remixti et rosarum conferua excepti, ea tamen lege, vt elapsa mane hora confectum ex farfae parillae radice modicaque ligni sassafras quantitate decoctum superbibatur. duplici hoc et sane insigni cum effectu, vt pededentim sic sufficiens ad completum excitandum pryalissimum, absque ulla

(ii) NENTERI *fund. med. theor. pract.* T. I. p. 277.

(kk) *diff. de officio medici circa casus cbirurg.* p. 38.

(ll) C. A. Å BERGEN l. c. p. 25.

(mm) COM. LIT. NOR. a. 1731. p. 412. et KRAMERI *med. castv.* B. I. p. 90.

ulla corporis turbatione, medicaminis quantitas inge-
ratur, ac simul humorum massae lentor successive
sed efficaciter ita colliquatur, vt, porrectis dein pau-
lo auctioribus dosibus, mitis et secura, larga quam-
uis, saluatio comiteretur.

§. XXXVIII.

Quod si tantam haud concedens moram morbi
conditio sanationem accelerare iubeat, a septem statim
granis noctu maneque propinandis erit inchoandum,
sensim abhinc praebium sic augendo, vt, altera die
decem, tertia quindecim et sic porro, scrupulum ta-
men rarissime excedendo, exhibeantur. (nn)

§. XXXIX.

Vbi autem ne sic quidem satis liquide proflue-
re incipit saliuia, tunc tuto et sine vlla cunctatione
ultima mercurii portio continuetur, modo id permit-
tat inuadens interdum diarrhoea, quae si cum eupho-
ria ingruat, cauendum iuxta SYDENHAMI monitum, (nn)
ne animo nimium obstinato, recalcitrante natura atque
ab isto euacuationis genere prorsus abhorrente, me-
dicus saluationem importunius vrgeat, contra vero
si sit cum dysphoria, et neque largae diascordii dosi
neque cephalico auscultet specifico mercurio admixto,
(oo) tunc ab vltiori ptyalismi prouocatione prorsus
erit abstinendum. (pp)

D

§. XL.

(nn) vid. G. W. WEDELIVS *diff. de merc. dulci* p. 32.

(oo) l. c. p. 402.

(pp) COMM. LIT. NOR. l. c. SYDENHAM l. c. CONF. STENTZEL
progr. de mercur. dulci pituitae resolu. et euoc. remedio p. 4.

§. XL.

Toto salivationis decursu curandum, ut, abacto omni frigore, in temperate calido semper regimine feruetur aegrotus. Cibus esto, sub medicationis praecipue statum, parcus saepiusque repetitus, et ex teneriorum, ut vitulorum, gallinarum etc. carnibus, concisis minutim aut contusis elicitus atque macrorum et consummatorum iusculorum forma exhibitus. Potus tepidus concedatur et sufficiens ex hordeo, auena, scorzonera ac liquiritia, aliisque istiusmodi diluentibus et demulcendo contemperantibus, confectus, cum oui vitellis vel minoribus passulis remixtus, a frigido vero omni, non rite item fermentato et spirituoso, non vino tantum vini que spiritu sed ipsa etiam consueta meraciori cereuisia, sollicito abstinendum.

§. XLI.

Atque haec hac vice sufficient, alia et opportunior forsitan, DEO T. O. M. adiuuante, praesentem aliasque ei adfines materias fusius elaboratas edendi dabitur occasio.



omni
ferue
cipue
nerio
cific
confu
tepid
zone
denu
vitell
omni
no ta
ratio

nior
alias
dabit



B ARTIFICIALI.

ndum, vt, abacto
semper regimine
medicationis prae-
petitus, et ex te-
etc. carnibus, con-
que macrorum et
exhibitus. Potus
ordeo, auena, scor-
odi diluentibus et
fectus, cum oui
as, a frigido vero
pirtuoso, non vi-
tiam consueta me-
m.

, alia et opportu-
nante, praesentem
elaboratas edendi